

quantum (Calliopen testor amabilem)
à Phœbo astimum feret;
largo quod Genus, Musa q̄; cultior
olim protulerit sinu.

Amici adfectus ergo scrib.
GOD OFRED. SCHNEEVVEIS
Gorlicio Lusatus.

Nec fumo cerebrum, nec venæ uligine plenæ
Putrescunt Tibi; qui Mundi primordia promissis
Excutienda σφαιρα: Physicas scrutaris abyssos:
Sacratæ Speculum Historiæ ferè perspicis omne:
Et Logicæ solers trahis arma reciproca ferræ,
Ad rerum causas rectâ ratione secandas:
Cunctaq; quod palmare decus, convertis ad Usum.
Quid dicam? sanè conaris acumine mentis
Rem spissam: sed quæ dignissima acumine mentis.
Restat: ut ambiguis contorta sophismata rhombis,
Quæ Logici Venatores dant agmine multo,
Gnaviter incidas gladio rationis & artis.
Quod facies; modò Te novi perspectius. Opto,
Spiritus æthereos ita Te sacer armet in ignes;
Ut parili ingenio sectarum pondera libes:
Enodes dubiis divina oracula griphis!

Cætera perficiet bene, qui bene cœperit, olim.

Melleus est succus, succus na fontis Hebrai,
Ec verè felix arva Latina rigat.

Sint ergo Hebraea studia ἑβραϊκά, πῆρρηγὰ Latina
Vocis: & hac illi, par, famuletur, erit.

Benevoli affectus ergo

f.

Matt bias Saltz siederus Pom.



XXVII

Compendiosa Delineatio
MEDITATIONIS,
DE CHRISTI
PASSIONE INSTI-
TUENDAE;

Piæ colloctionis exercitationisq; gratiâ,
Juventuti studiosæ publicè proposita,

In ILLUSTRIS GYMNASIO
SCHONAICHIANO:

Sub moderatione

GEORGII VECHNERI

S. S. Theol. D. Pietatisque

ibidem Professoris,

Adis. April.

Loco, Horisq; solitis matutinis;

Responsuro

EPHRAIMO MYMERO,

Quotidianæ Christiani hominis lectio, debet esse Dominica

Passionis recordatio. Bernh.

BETHANIAE,

TYPIS JOANNIS DORFFERI.

ANNO M. DC. XX.

Reverenda dignitate, piaque eruditione
Clarissimis, doctissimisque
Viris, Dn.

M. SIMONI GRUNÆO

Theologo sincero; Ecclesiarum Ducatus
Lignicenf. & VVolavienf.

SUPERINTENDENTI fidelis-

simo, Consistori Illustris Adessori Primario, Ecclesiæ
Marianæ apud Ligios Pastori
meritissimo:

UT ET

DN. GEORGIO TITO,

ECCLESIAE BERRSCHDOR-
FENSIS

Antistiti vigilantissimo;

ANADOCHO, ADFINI,


Mæcenatibus ac Promotori-
bus meis

multum honorandis, plus observan-
dis, plurimum colendis
Offero L. M. q;

Respondens.



426424



ΕΥΝ Θ Ε Ω

Proæmium in Delineationem
MEDITATIONIS DE
PASSIONE CHRISTI.

I.



*T salutare Christi Servatoris
nostri per passionem, pie probeq; medi-
tandam nobis esse sciamus: ratio suppe-
tit potior ac major: quam est illa: qua
majorum instituto nititur; moremque
anniversarium pratendit.*

II. *Testantur enim clarè satis di-
vina litera: quam fuerit memorabile
circa rem eam, & Angelorum desi-
derium; & Prophetarum scrutiniū;*

*& Pauli iudicium: quo deniq; instituto Christus ipse perpetuam
mortis sue commemorationem voluerit sancitam: ut indigna
proversus foret, si qua circa rem illam nobis adhereret, negligentia.*

III. *Angelorum desiderium Petrus expromit, priorè Epi-
stolâ suâ, cap. I. v. 12. Ubi, cum de venturis in Christum afflictio-
nibus, & quæ easdem sequuntur essent, gloriis, aliquid commonu-
isset; & hoc subjungit: quod in eas desiderent intipicere etiam
Angeli.*

IV. *Prophetarum scrutinium, eodem loco idem describit:*

1 2

quos

quos docet, scrutatos fuisse, ad quem, aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat, Spiritus Christi: qui, priusquam acciderent, testabatur Venturas in Christum afflictiones.

V. Pauli iudicium, ex ipso met ad Corinthios priore Epistolâ patet: cum cap. 2. v. 2. scripsit: Non iudicavi, quicquam scire inter vos, nisi JESUM CHRISTUM; & hunc crucifixum.

VI. Christi quoque institutum *singulare*, quo mortis sue memoriam consecravit, tum Evangelistarum, tum Pauli recensione cõ tendit: ut mors Domini commemoretur; ut quotiescunque panem illum ederimus; aut poculum illud biberimus; mortem Domini annunciemus: donec venerit.

VII. Quod si ipsum quoque Christi desiderium, quo ad perpeffiones illas, salutis nostræ causâ subeundas, accessit, recolimus: verbaque illa nobiscum pensitamus: cum dixit: desiderio desideravi hoc pascha comedere vobiscum antequam patiar: Luc. 22. v. 15. quantum non debet esse nostrum desiderium: ut rem tantam, postquam jam gloriose peracta est, dignè rectèque meditemur.

VIII. Quin ergò cura precium quoque fuerit Meditationis, tam commendabilis, tam desiderabilis, delineationem aliquam iuventuti studiosa exhibuisse; quasque per typum, viam monstrasse cursus, privatâ animi exercitatione, tum diebus his incipiendi; tum cætero quovis vita tempore, continuandi.

IX. Esto igitur meditationis illius delineatio, vice hac, Generalis tantum: designatisq; compendio Theorias limitibus, rectâ ad Pietatis praxim contendat.

Deli-

Delineatio ipsa
MEDITATIONIS, DE
PASSIONE CHRISTI
INSTITUENDÆ.

I.

Vera salutarisq; MEDITATIO PASSIONIS
D. N. J. C. ea est; quæ non Intellectu tantum, sed
Affectu quoq; & Effectu exercetur; adeoq; totâ animi,
tum Attentione, tum Devotione perficitur.

Ita inter Veteres est; qui meditationem eam ita instituendam,
monet: ut quintuplici modo sentiat Domini passio; In Intellectu;
in Affectu; in Effectu; in Despectu; in Despectu.

II. Estq; idcirco meditatio ea, partim Theoretica,
partim Practica.

III. THEORETICA Meditatio est, quâ considerantur de Passione Christi ea: quæ extra nos, jam antè, suo certo sese modo habent, animique cognitione percipi possunt.

IV. Atq; isthac meditatio quadruplex potissimum est;
Historica, Prophetica, Allegorica, Aetiologica.

V. HISTORICA Meditatio, rem, uti gesta est, considerat; inque cognitione seu consideratione versatur Narrationum de Passione Christi fide dignarum.

A 3

VI.

VI. Ad meditationem ejusmodi sufficit, omninoque satis est: quod Evangelistarum libris summâ fide consignatum est.

VII. Quod ex scriptis veterum nonnullorum Auctorum alius referri hoc potest, & solet: ideo loco haberi non meretur: quo id habendum est: quod ex scriptis Apostolicis depromitur.

VIII. Modò tamen narrationes istiusmodi exotica non repugnent literis Canonicis: facillè eas admittere possumus: Quales sunt, Pilati ad Tiberium Epistola: quæ reperitur apud Egesippum in Anacephalæosi, & Euseb. Cæsar. lib. 2. Hist. Eccl. itemque Narratio de Eclipssi solis, Passionis tempore facta: quæ extat apud Suidam.

IX. Confert ad Meditationem hanc plurimum, tum Harmonia, ex diversis Evangelistarum narrationibus dextrè concinnata; tum Distributio seu sectio totius Historiæ illius in partes certas, distinctosque actus.

X. PROPHEtica Meditatio ea est, quæ Prophetiæ seu Prædictiones de futurâ Christi passione, in V. T. facta, longisq; & diversis antè temporibus præmissa, considerantur & evolvuntur.

XI. Prophetiæ ejusmodi illustriores sunt Gen. 3. v. 15. Psal. 2. item 16. ut & 22. Esa, 50 & 53. Zach. 11. 12. & 13.

XII. Ad Christi Passionem Prophetiæ ejusmodi

referri, patet ex scriptis Apostolicis. Quod enim dictum illud Gen. 3. v. 15. attinet: Christus disertè semen benedictum esse docetur Act. 3. v. 25. Gal. 3. 16. Serpens autem ille antiquus dicitur esse Diabolus Apocal. 12. v. 9. & 20. v. 2.

XIII. De Psalmo secundo videre est Act. 4. v. 25. 26. 27. &c. de Psalmo sexto & decimo Act. 2. v. 25. 26. 27. De Psalmo vigesimo secundo Matth. 27. v. 35. 43. 46. &c. De quinquagesimo Esaia capite constare item potest ex Matth. 26. v. 67. de quinquagesimo tertio ex Matth. 8. v. 17. Act. 8. 32. Marc. 15. 28. Luc. 22. v. 37. I. Pet. 2. 24. I. Joh. 3. 5.

Zacharia caput undecimum citatur Matt. 27. v. 9. duodecimum Johan. 10. v. 37. decimum tertium Matt. 27. v. 31. & Marci 14. & 27.

XIV. Quòd verò multa etiam loca in scriptis Prophetiis extant: quæ ad Christi passionem referri debent: licet ea in scriptis Apostolicis non reperiamus expressè accommodata: liquere potest facillè, tum ex illo, quod Luc. 24. 27. legitur; tum ex insigni illo loco, qui est apud Daniele m. c. 9. v. 26.

XV. ALLEGORICA Passionis Meditatio ea est; quæ instituitur per considerationem earum rerum: in quibus umbra, typi, figura, simulacra, & imagines quasi aliqua animadverti possunt eorum, quæ in passione illâ acciderunt.

XVI. Exhibent verò res ejusmodi, tum Sacra scriptura; tum rerum natura; tum Ethnicorum Historia.

Poetarum fabulatura indignior est; aut sanè nobis, plerique partibus suis, absurdior videtur: quàm ut huc quoque admitti debeat: quamvis Fulgentius id, quod de Alceste est in fabulis illis, horsum accommodet, Mythologias suæ libr. primo circa finem.

XVII. Scriptura sacra exhibet, quæ huc spectant, tum Sacrificia, tum Typos & figuras.

XVIII. De Sacrificiis, ad rem præsentem accommodandis, Epistola ad Hebræos abundè nos instruit.

XIX. Typos & figuras, in V. T. extantes, Christi-que passionem adumbrantes, Christus ipse indicasse legitur: ut de Jonâ constat ex Matt. 9. v. 39. 40. & 16. v. 4. Itemque de Serpente aneo ex Joh. 3. v. 14. de quo apud Mo- sen agitur Num, 21. v. 9.

XX. Paschalem Agnum, de quo Exod. 12. 21. 27. agitur, ut & Num. 9. v. 12. ad Christum accommodat Paulus 1. Corinth. 5. 7. quod facit quoque Jobannes, cap. 19. 36.

XXI. Quàm illustribus typis plerique Heroes, in V. T. Illustres, Christum hac quoque parte adumbrent: quàm ut miserrima quæque pro nobis perpetuens consideratur: non paucis piorum hominum meditationibus proditum est.

XXII. Quin res ea in expedito facilè futura est, Josephi, Samsonis, Davidis personam propiore contuitu considerantibus.

Abelis

XXIII. Abelis quoque sanguis, cùm Christi sanguine confertur: atque hic meliora loqui, quàm ille asseritur Heb. 12. v. 24. quippe qui clamasse legitur ad Deum de terrâ, aded: ut maledictus fuerit Cain super terram: quæ aperuerat os suum: ut exciperet sanguinem fratris de manu Caini. Gen. 4. v. 10. 11. At de Christi sanguine aliud testantur scripturæ: dum docent complacitum esse Patri, cuncta reconciliare erga sese, pacificatis per sanguinem crucis ejus, per eundem; siue quæ in terrâ sunt, siue quæ in calis. Col. 1. 20.

XXIV. Eximia quoque est Haaci, ad sui ipsius immolationem, ligna super humerum imposita portantis Gen. 22. v. 6. cum Christo patiente collatio: dum ipse quoque crucem, quæ suffigendus erat, bajulasse legitur Joh. 19. v. 17.

XXV. Rerum Natura eximias quoque imagines exhibet Christi patientis, morteque & sanguine suo vitam nobis reparantis: si verè vero consona sunt: quæ de Phœnice, Pelecano, Ichneumone, recitari solent.

Phœnicis nomen Arabicum esse putatur; unicumque & solitarium significat. Ejus verò mentis in literis quoque sacris fieri quibusdam videtur Job. 29. v. 18. Aliàs de ave eâ videre est apud Plin. 1. 2. Hist. nat. c. 2. Item lib. 13. c. 4. Sic apud Solinum c. 46. Et sunt apud Lactantium versus: Hoc nemus, hos lucos avu incolit unica Phœnix:

Unica sic vivit morte refecta sua.

De Pelecano sunt qui interpretentur Psal. 102. versum 7.

Ichneumonis historiam habet Solinus c. 45.

XXVI. Cum re naturali, nempe frumenti grano
B confert

confert sese Christus eleganter nomine eo : quòd fructum non ferat nisi in terram fuerit dejectum. Ioh. 12, v. 23. 24.

XXVII. Ethnicorum historia ipsa quoque exempla habet ; quae accommodari huc possunt : qualia sunt Codri, Curtii, Aegypti, Spartii & Bulidis, Protogeniae & Pandora, aliorumque.

Codrus, cum Athenienses à Doricis bello premerentur adeò ; ut resistere non possent ; consultumque oraculum respondisset ; partem illam victricem fore cuius Rex occumberet in ipso bello : eaque de causa ediceretur exercitui : ne quis Regem hostem interficeret : ipse, depositis imperii insignibus, cultum familiarem atque abjectum induit ; diffususque hostibus sese obiciens, unum ex illis, falce percussus, in cadem suam compulsi : quo facto victoriam quoque suis reliquit : Unde de Codro quoque apud Horat.

Codrus pro patria non timidus mori.

Curtii historia notior iam antè : quam ut repetenda videatur hoc loco. Videatur Liv. lib. 17. Et Propert. lib. 3. carm. 3. Adde Lactant. lib. 3. Instit. c. 12.

Spartii & Bulidis exemplum ita habet. Lacedaemonii ob interfectum contra jus gentium Xerxis legatum peste laborabant : ad finem verò mali ejus reperendum, conducibile videbatur : si quis ex Lacedaemoniis morte sua indignum illud facinus pensaret. Igitur patria subventuri, Spartius, & Bulides lati sese letho obtulerunt : profectique ad Xerxem cultris devoverunt jugulos : ut violato juri satisfaceret. Videatur Stob. serm. 1. Apud quem quoque Aegyptus (seu ut legunt alii, Anchurus) laudatur : qui, ut Celaeus, urbem Phrygiae, à vasto terra hiatu liberaret, eques cum impetu in hiatus insiluit. par Curtio.

Protogenia & Pandora, filiae Erichonidei, Athenarum Regis, ingruente Boeotico bello, obtulerunt sese ultro, pro patria salute jugulandas. Quod in Hyacintho factum, pago quodam ita nominato : ex quo & ipse virgines Hyacinthides dictae sunt.

ÆTIO-

XXVIII. ÆTIOLOGICA Meditatio in eo versatur : ut causas potissimas abditissimasque Passionis tam truculentae perspiciamus ac perpendamus.

XXIX. Causa verò illa tum per seclusionem, tum per assertionem compendiosè spectari possunt.

XXX. Per seclusionem seu negationem, è causarum illarum censu removendum id venit : quasi in afflictiones tantas, Christus, merito aliquo suo, incidere : adeoque per culpam aliquam suam & propriam, talia ac tanta perpeffus sit.

XXXI. Hac consideratione agnoscenda est summa Christi inculpatisimi INNOCENTIA : quae plus satis patet ex ipsa Historia perperensatione : utpote in quâ documenta & testimonia innocentiae illius, perquam multa atque illustra, offeruntur : ne illa adducamus : quae aliàs obviam sunt, de eadem innocentia, in sacris.

XXXII. Est verò innocentia illa, quasi manu dextra ad causas primarias & abstrusiores illas, tum avidius pervestigandas ; tum facilius quoque perspiciendas : siquidem non potest non mirari probus animus & rimari quid sit : dum, ut loquitur Prosper,

Vexatur virtus : Sapientia ludificatur ;
Justitia injustos tolerat ; clementia saevos ;
Gloria contemptum subit ; & tormenta potestas ;
Inque crucis poenam nulli violabilis unquam
vita agitur.

Causa

XXXIII. *Causa igitur per Assertionem spectata, duæ potissimum sunt: quæ per innocentiam luculentius patent; Una Dei respectu; altera. Nostri.*

XXXIV. *Dei respectu, indicatur nobis in literis sacris, sacrosanctum ejus CONSILIUM: quod adeo pro causa summa etiam agnoscendum est, præ cæteris manifestioribus.*

Act. 2. v. 22. 23. Viri Israelitæ, Jesum Nazarenum &c. definito consilio & prænotione Dei traditum, accepistis per manus iniquorum, crucifixumque interemistis. Sic Actor. 4. v. 27. 28. Convenerunt verè adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes simul & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israelis; ad faciendum, quæcunque Manus Tua & Consilium tuum prius decreverat: ut fierent.

XXXV. *CONSILIUM istud Dei tum ex multiformi Sapientiâ ejus, tum ex Gratiâ ac Misericordiâ, tum deniquè ex Justitiâ ejusdem profectum est.*

XXXVI. *Sapientia in eo est: quod Deus adeo impervestigabilem, prorsusq; admirandam servandi generis humani rationem adordinavit.*

XXXVII. *Gratia in eo est: quod Amore ac favore prorsus impromerito, planeq; indebito, uti erga genus humanum constituerit.*

XXXVIII. *Misericordia in eo est: quod immorigeri, adeoq; jure deperditi generis humani, tam benignâ rationem habuerit.*

XXXIX. *Justitia in eo est: quod rationem in substitutione illius talem usurpare statuerit: per quam & comminationis, in initio adversus peccatum facta fieret*
exe-

executio: & odium quoq; ejus adversus peccatum evidenter manifestaretur: Spes quoq; impunitatis, perulantibus omnibus præscinderetur.

XL. *Respectu NOSTRI, causa summa ac præcipua est, Nostri à Peccato, à morte aternâ, ab irâ venturâ, REDEMPTIO, per ἀντίλυτρον à Christo Jesu exsolutum; devolutis in ipsum nostris iniquitatibus; ipso pro nobis peccato facta, & tanquam piaculari Hostiâ, mactato.*

Hæc docent clara scriptura dicta.

Matt. 20. v. 28. Filius hominis venit: ut daret animam suam redemptionis precium; pro multis. 1. Timoth. 2. v. 6. Qui semetipsum dedit redemptionis precium, pro quibusvis.

2. Cor. 5. 21. Qui non novit peccatum, factus est pro nobis peccatum.

Esa. 53. v. 6. Iehova coniecit in eum iniquitates omnium nostrum. Et v. 10. Dominus voluit ipsum infirmando atterere: ut, ubi posuerit animam suam hostiam delicti, videat semen &c.

XLI. *Causis istis duabus adjungitur præ aliis merito, Promptissima Christi Redemptoris Nostri OBEDIENTIA: quæ tanta fuit: ut ad Crucem usq; & Mortem truculentissimam fuerit ipsi perseverata: ut Apostolus docet Phil. 2. v. 8. Semet ipsum inanivit, formam servi sumtâ &c. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Designatur eadem obedientia illa Hebr. 10. v. 10. Ecce adsum: ut faciam voluntatem tuam.*

XLII. *PRACTICA MEDITATIO passionis Christi in eo consistit: ut per considerationem passionis Christi progrediamur ad ea: quæ ejus respectu*

*Et documento, non solum agnoscenda & scienda sunt
à nobis; sed in nobis quoque affectu percipi & effectu perfici
debent.*

*XLIII. Hoc ergo meditationis genere eò anni-
tendum: ut, per considerationem passionis illius salvi-
fica, excitetur in nobis, & concipiatur,*

Agnitio Charitatis divinæ erga nos miseros perdi-
tissimosque homines;

Certa divinæ misericordiæ Fiducia;

Fides in Christum Redemptorem firma;

Detestatio Peccati, vitæque seriae emendatio;

Reciproca Dei, ardensque proximi Dilectio;

Sollicita imitatio obedientiæ, Charitatis, Humili-
tatis, & Patientiæ Christi;

Attenta peccati recidivi devitatio;

Animosa Afflictionum quarumvis sufferentia, ac
Consolatio;

Locuta ac indubitata beatæ resurrectionis expecta-
tio.

Quâ ratione, Passionis Dominicæ attendita & devota me-
ditatio, fiet nobis ad PIETATEM compendiosa & nervosa
manu ductio.

*XLIV. De CHARITATE DIVINA, ex Christi
pro nobis passione, seu in mortem traditione, eximie
dilucideque agnoscendâ, monet Paulus Rom. 5. v. 8. Com-
mendat suam charitatem erga nos Deus: quod, cum adhuc
effemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Huc
spectat, quod de Charitate divinâ monet Johannes
Ep. 1. c. 4. v. 9. & 10.*

De

*XLV. De CERTA MISERICORDIÆ
DIVINÆ FIDUCIA, ex consideratione
Passionis & Mortis Christi hauriendâ docet Paulus:
Rom. 8. v. 31. 32. Quid igitur dicemus adhuc? Si Deus pro no-
bis: quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit: sed
pro nobis omnibus tradidit illum: qui fieri potest: ut non &
cum eodem nobis omnia donet?*

*XLVI. De FIRMA IN CHRISTUM FIDE
COLLOCANDA, ipsa quoque passio ac Mors Chri-
sti nervosissime nos instruit: dum ea testatur; a pla-
catum nobis esse Deum; b fusumque esse sanguinem Chri-
sti in peccatorum remissionem: dum eadem, quasi con-
spiciendam exhibet, c summam Christi erga nos chari-
tatem simul & d majestatem: dum ipsa quoque introitus
fuit, ad gloriam illam, resurrectionis e mortuis, & con-
fessionis ad dextram Patris.*

*Patet idè scripturis: a Col. 1. 22.. Reconciliavit nos in corpore car-
nis suæ per mortem. b Matt. 26. v. 28. Hic est sanguis meus: qui pro mul-
tis effunditur, in remissionem peccatorum. c 1 Joh. 3. v. 16. Per hoc co-
gnovimus charitatem: quoniam ille animam suam pro nobis posuit. d
Math. 27. v. 54. Centurio & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso
terræ motu, & his, quæ facta erant, timuerunt valdè dicentes: verè Fili-
us Dei erat iste.*

*XLVII. Quin ipse Christi patientis morientisq; con-
tuitus ad FIDEM invitare nos potest & animare:
quod perquam eleganter Patrum meditationes docent.*

*Bernb. serm. 61. in Cant. Fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo
mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordiâ affluunt: nec desunt
foramina; per quæ effluant. Patet arcam cordis, per foramina cor-
poris.*

poris. Patet illud magnū Pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiae Dei nostri; in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Augustin. in lib. de Virgin. Inspice vulnera pendentis; sanguinem morientis; precium redimentis; cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum, ad osculandum; cor apertum, ad diligendum; brachia extensa, ad amplexandum; totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate; hæc in statera vestri cordis appendite: ut **TOTUS VOBIS FIGATUR IN CORDE**: qui **TOTUS PRO NOBIS FIXUS FUIT IN CRUCE**.

Pari ratione, manus quoque Christi inspicienda: quas perfodi perterebrarig, voluit: ut verè persuasum sit, & quasi ocularièr commoñstraretur nobis; nos esse in ejus manibus signatos; nos habere ipsi in memoria constantius ac profundius: quàm vel matris filius habere in memoriâ possit. Esa. 49. v. 15. 16. Nempe illa in Christi manibus stigmata, sunt fidelium, ad indelebilem memoriâ, insculpta in iisdem nomina.

XLVIII. De RECIPROCA DEI, ardentissimâque PROXIMI DILECTIONE, crux Christi ac Mors ejusdem, evidentiùs nos instruit: quàm ut verbis opus sit.

Job. 15. v. 13. Majorem hac dilectione, nemo habet: ut quis animam suâ ponat pro amicis suis. *1. Job. 3. v. 16.* Quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. *Bernhard. serm. 20. in cantic.* Nihil est; quod eum nobis ita amabilem reddit; quàm calix ille: quem pro nobis bibit; hoc est, optis nostræ redemptionis. Hoc enim necessariò, amorem nostrum totum, vindicat sibi: hoc devotionem nostram, blandiùs illicit; justius exigit; arctius stringit; afficit vehementius. Convenit huc, quod apud Syraciden est: *c. 29. v. 18.* Beneficiorum Sponsoris ne obliviscaris. Exposuit enim animam suam pro te.

XLIX. De VITÆ EMENDATIONE, seriâque PECCATI DETESTATIONE, erudimur Passionis Christi consideratione: dum constat; Christum peccata nostra, pertulisse in corpore suo, super lignum: quò peccatis mortui

mortui, iustitia viveremus; sanati ejus vibicibus. *1. Pet. 2. v. 2 4.*

Et clara sunt Petri ejusdem verba. c. 4. v. 1. 2. Cum igitur Christus passus sit pro nobis, in carne: vos quoque juxta eandem cogitationem, armemini: quòd qui passus est in carne, destitit à peccato, (hoc est, cessare fecit peccatum) in hoc: ut jam non concupiscentiis hominum, sed voluntati DEI, quod superest in carne tempus vivat. *Vide etiam Gal. 6. v. 14.*

L. Quin vitæ emendatio, peccatiq; detestatio, gratitudinis nomine à nobis exigi, quàm maximè potest; passionis illius consideratione. Quod fit per quâ patheticè à Bernhardo.

O Homo vide; quid pro Te patior. Non est dolor sicut dolor meus. Ad Te clamo: & pro Te morior. Vide poenas; quas pro Te patior. Aspice clavos: qui me perforarunt. Respice; quantis ignominias me opplevērunt. Et quemadmodum magnus fuit dolor: quem patior foris: sic major est ille: quem intrus sentio: cum Te ingratum invenio.

L. De IMITATIONE OBEDIENTIÆ, CHARITATIS, HUMILITATIS, & PATIENTIÆ CHRISTI, eadem illa Passionis Christi consideratio, commonefacere nos potest ac debet; ratione admodum nervosâ: ut ipsi quoque Apostoli id monitis suis, ex argumento illiusmodi exstructis, testantur.

Phil. 2. v. 5. Is affectus sit in vobis: qui fuit & in Christo Jesu &c.

1. Pet. 2. v. 21. In hoc vocati estis: quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum: ut insequeremini vestigia ejus. &c.

Heb. 12. v. 1. 2. &c. Per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine; respicientes ad Fidei ducem & Consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio, pertulit crucem; ignominia contemta: & confedit ad dexteram throni Dei. Reputate: quòd is talem sustinuerit, à peccatoribus, adversus se contradictionem: ne defatigemini, animis vestris deficientes.

Eleganti transfumione, ad Christum in monte crucifixum, accommodari id solet: quod est Exod. 25. v. 40. Inspice, & fac secundum exemplar: quod tibi in monte monstratum est.

LI. De ATTENTA PECCATI, ex temeritate, ac petulantia REDIVIUI, DEVITATIONE, tam nos graviter monere, Passionis Christi consideratio debet: quam esse horrendum cogitari potest: si denuò Christum crucifigamus: quam quoque certum est; bestiam tum nullam superesse: postquam gratia illa rejectatur.

Heb. 6. v. 4. 5. 6. Fieri non potest: ut, qui semel fuerint illuminati &c. denuò renoventur per poenitentiam; ab integro crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & blasphemantes.

Ibid. c. 10 v. 26. Si volentes peccaverimus, post acceptam cognitionem veritatis: non ultra pro peccatis reliqua est hostia.

Referatur huc, quod scriptum est 2. Pet. 1. v. 5. 6. 7. 8. 9.

Potesi gravissimis peccatoribus, in Agone respicientibus, solatio esse, insigne illud LATRONIS CONFERSI exemplum: quod passionis Historia offert. Sed comperendinatui poenitentia, apud neminem inservire id debet. Graviter de exemplo illo Augustinus: Qui omni poenitenti promisit veniam: non omni peccanti promisit poenitentiam. Legi & relegi scripturam: & non juveni in duobus millibus annotum salvatum peccatorem in agone, nisi latronem in cruce.

LIII. DE ANIMOSA AFFLICTIONUM OMNIUM SUFFERENTIA seu tolerantiâ, verissimū est, (quod est in quadam Gregori epistola:) Nihil adeo grave esse: quod non æquanimitè feratur: si Christi passio in memoriam revocetur.

LIV. De LÆTA SECURAQ; beatæ Resurrectionis, sub morte etiam ipsâ, EXPECTATIONE,
ita

ita nos confirmare Passionis & Mortis Christi consideratio potest: ut eandem certissimo consecuta est, lætissima illa Christi è mortuis resurrectio: ut ex vitâ ipsâ quoque plus sperari potest; quam ex morte.

Videatur 1. Cor. 15. v. 13. 14. 15. 16. &c. & 55. 56. 57.

Rom. 5. v. 10. Si cum inimici essemus; reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati, servabimur per vitam ipsius.

Colophonis locum obtineat, in delineatione hæc meditationis, de Passione Christi, Pathectica illa, atque exhortatoria meditatio uncula *Bonaventura*; quæ extat in *Soliloquio* cap. 3.

Expurgare nunc, ô Anima mea: Respice in faciem CHRISTI TUI. Vide faciem illam, quondam,

Splendore nimio luminosam, propter te velatam, contra charitatem;

Decore speciosam, inflatam, contra speciositatem;

Dulcore gratiosam, consputam, contra gratiositatem;

Amore desiderabilem, abominabilem, contra desiderabilitatem.

Vide nunc, ô Anima mea; & diligenter considera,

dera, mira & inaudita prodigia : quæ fecit Dominus, super terram :

Deus illuditur : ut honoreris.

Innocens flagellatur : ut consoles.

Iustus crucifigitur : ut libereris.

Agnus immaculatus occiditur : ut epuleris.

Sanguis & aqua, de latere lanceati, emittitur : ut potêris.

Respice igitur, in precium Redemptionis; plancans offensam prævaricationis.

Inspice exemplum informationis; præstans adminiculum sanctificationis.

Aspice auxilium protectionis; referans januam incarcerationis.

Suscipe præmium retributionis; conferens gratiam justificationis.

Aspice, o anima delicata, contemplando assidue: & fac imitando perfecte, secundum exemplar consummatæ justitiæ : quod tibi in monte monstratum est: hoc est, in Christi victoriosissima passione.

An non consideras : quod deliciis corporalibus æstuas

æstuas: & Christus, Dominus Tuus, Rex Tuus, sponsus Tuus, Magister & amicus Tuus, affligitur omni genere poenarum, in omni parte sensuum, ab omni statu hominum.

Rex illusit: Præses judicavit: Discipulus vendidit: Apostoli reliquerunt: Pontifices, scribæ, & Pharisei tradiderunt: gentiles flagellaverunt: turbæ condemnauerunt: & milites crucifixerunt.

Caput, angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur.

Facies, pulchra præ filiis hominum, sputis Judæorum deturpatur.

Oculi, lucidiores sole, caligant in morte.

Aures, quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus.

Os, quod docet Angelos, felle & aceto potatur.


Pedes, quorum scabellum adoratur, cruci clavo affiguntur.

Manus, semper beneficæ, sunt in cruce extensæ, & clavis affixæ.

Corpus

Corpus verberatur: latus lanceâ perforatur.
Et quid plura? Non remansit in eo, aliquid
liberum; nisi sola lingua: ut pro peccatoribus
exoraret.

O Fidelis Anima: Salvator noster, nullis ad-
versantiû hostium tentamentis, potuit à nostræ
salutis curâ revocari. Quò magis ostenditur eius
æmulatio: eò gravior nos, si eam spernimus, se-
quitur damnatio.



Corpus

THESES THEOLOGICÆ.

DE

BONIS OPERIBUS,

quas

Adspirante Gratiâ Divinâ,

In Illustri Gymnasio Schon-
aichiano ad publicam disputationem

Præside

ERNESTO NOLDO,

sacrarum literarum Professore

Proposuit

CHRISTOPH. HOFMANNUS,

Polonus, loco & horis consuetis.

die 29. Augusti.

BETHANIÆ AD ODERAM,

TYPIS JOHANNIS DORFFERI.

ANNO clb Is cxx.